

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0131

0129

0135

0125

0140

0120

0180

0080

0230

0030

0630

120

ivi in eorum hospitium, et refrigerium accepimus, suimus enim facti calidi, lassi et multum fessi. Et ita transivit illa dies. Si cui placet videre antiquae Jerusalem spatium et munitiones, inspiciat Josephum de bello Judaico lib. VI. c. 8. Ne tamen omnino praeterire videar aliquid certius loqui de magnitudine illius sanctissimae civitatis, sciendum, quod nequaquam ita magna est, ut communis aestimat vulgus, qui eam judicat ita grandem in circumferentia, sicut est in nominis et virtutis fama. Gloriosa enim dicta sunt de te, civitas Dei, et dicuntur dicenturque quamdiu mundus iste durat. Est namque civitas haec et semper fuit minor maximis, et maior mediocribus, de qua etiam gentiles loquuntur. Nam Hecataeus Abde [rita], philosophus, dicit: Jerusalem urbs munitissima, quinquaginta paene stadiorum habens circuitum, quam plures quam **CXX** millia homines inhabitant. Et plura prosequitur de ea, ut habetur in Eusebio de evang. praep., libr. 8. c. 2. et 3.

Alius philosophus, Timochares, qui Antiochi res conscripsit, asserit: Hierosolymam **XL** stadiis circumduci abruptis vallibus undique natura munitam, ipsamque multis aquis in ea emanantibus irrigari, cum tamen per gyrum ad **XL** stadia nullae sint aquae vivae. Et caetera plura dicit, ut habetur ex Eusebio, uti supra l. X. c. 4.

Josephus autem, Judaeus, insignis historiographus, libro et cap. V. supra allegato dicit: Omne civitatis Jerusalem in gyro spatium **XXXIII** finiebatur stadiis, et multa gloria valde in supra dicto capite refert. Ejusque dictis magis credo, cum fuerit civis et capitaneus populi Judaeorum in Jerusalem, tempore suae destructionis per Titum.

Ex his liquet, quod Jerusalem fuit major ante ampliationem factam per Aelium Hadrianum Imperatorem, quam hodie Ulma, quae est una de mediocribus urbibus. Ulmam enim ego saepe mensus sum, habetque in gyro stadia **XXV** et **LXXV** passus magnos, quae faciunt stadium dimidium. Et ita antiqua Jerusalem excessit Ulmam in octo stadiis.

Porro post Josephum multis annis Aelius Imperator destructam Jerusalem restauravit, et locum Calvariae et dominici sepulchri moenibus inclusit, siveque eam pro tanto ampliavit,

Ende

Anfang

